

PSYCHOLOGIA RATION-
NALIS

CAP. I.

De Psychologia rationali ge-
neratim.

§. 662.

Quid PSYCHOLOGIA sit RATIO-
NALIS traditum fuit ex mente
Wolfii in logica (P. §. 55.): ni-
mirum scientia de anima, seu de iis,
quae per animas hominum sunt possi-
bilia, vt illius affectiones determina-
tae.

Quid
Psychologia
rationalis.

§. 663.

Psychologia rationalis est scientia af-
fectionum animae (§. praec.): adeoque
*illa, quae hic traduntur de anima erunt
demonstranda* (Log. §. 658. P. §. 50.).
Cum vero anima sit ens et generalis en-
tis affectiones participet; praeterea sibi
repraesentet mundum, adeoque mun-
di affectionibus se conformet (Log. P.
§. 1.); tandemque definitiones eorum,
quae ad animam pertinent, et quae de
anima per experientiam constant, prae-
strui debeant scientiae de anima: *Psy-*

Requisita
eius,
qui hanc
vult
condere.